



CODICES HIEROGRAPHICI.

R. 2. **C**odex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 174. fol. max. caractere grandi, nitido per duas columnas magnifice exaratus, Titulis Librorum et initiorum literis uncialibus miniatis, non raro crispatis et inter se implexis est *Pars prior* sacrorum *Bibliorum* vulgati *Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

I. Interpretis, olim, ut ad inum fol. i. marginem notatur, *Congregationis S. Justine de padua, deputata monasterio S. Seuerini de neapoli.* Frons Codicis in limbo picturato haec minio, atramentoque alternantia praefert: *Incipit Epistola Sancti Hieronimi Presbiteri*
A Ad

Ad Paulinum Presbiterum De Omnibus Divinae Historie Libris. Hujus Epistolae haec verba miniatata: *Frater Ambrosius Tua Michi Munuscula Perferens Detulit* totam columnam tertiam folii tenent, litera prima F. speciose expressa paginam, quanta est, emittente. At vero *folium* sequens, seu 2. manu, ut videtur, Seculi XIII. subpletum est. Neque id solum damni fecit praestantissimus *Codex*, sed, ut jam hic colligam, post *fol. 54.* de *Deuteronomio* folium unum, post *fol. 56.* de eodem sex, post *fol. 103.* de *Libro III. Regum* sex, post *fol. 112.* de *Isaia* sex, post *fol. 142.* de *Ezechiele* octo folia evulsa sunt. Epistolam porro *Hieronymi* excipit ejusdem Prologus in Pentateuchum: *Desiderii mei desideratas &c.* ita inscriptus: *Incipit Prephatio Sancti Hieronimi Presbiteri In Historia Pentateuchum Moysi.* Tum succedit Elenchus Capitulum *Geneseos*, quae numerantur XLVI. Titulus *Geneseos*: *Incipit Liber Bresth Id Est Genesis.* Verba: *In Principio Creavit Deus Caelum Et Terram*, totam columnam primam *fol. 5.* sibi vindicant litera prima I. eleganter picturata, ut sunt reliquorum etiam librorum initiales literae. *Fol. 22.* *Incipit Liber Exodus.* Capitulum. XXII. *Fol. 34.* *Incipit Liber Leviticus.* Capitulum. XVI. *Fol. 44.* p. 2. *Incipit Liber Uagadaber Id Est Numerorum.* Capitulum. L. *Fol. 54.* p. 2. *Incipit Liber Deuteronomium.* Ad dicitur inscite: *ebraice eldeadabarim*

quod grece dicitur *deuteronomium.* Latine autem iteratio *Legis Latinationis.* Capitulum nulla hic mentio. *Fol. 57.* praemisso *Hieronymi* Prologo, *Incipit Liber Ihesu Nave.* *Fol. 65.* *Incipit Liber (sic) Sophim Id Est Judicum.* *Fol. 73.* p. 2. *Incipit Liber Ruth.* *Fol. 75.* praemisso *Hieronymi*, quem *Galeatum* vocant, Prologo, et Capitulum. XLIII. Elencho, *Incipit Regum Liber I.* Ita *fol. 87.* *Liber II.* Capitulum. XLVII. et ad calcem dicitur *Samuel II.* *Fol. 96.* *Liber III.* absque Capitulum censu. *Libri IV.* initium, ut jam dictum, excidit, atque ad hujus calcem simpliciter legitur: *Explicit Liber Regum.* Hinc porro Scriptor ad *Prophetas* transit, praevioque brevi Argumento, et *Hieronymi* Praefatione, *fol. 112.* *Incipit Liber In Isaia Propbeta.* *Fol. 121.* praemissa pariter Praefatione *Hieronymi* absque titulo *Jeremias* sequitur cum *Baruch*, *fol. 142.* cum Prologo *Incipit Jezechiel Propbeta*, *fol. 152.* pariter, cum Prologo *Incipit Liber Danielis Propbeta*, qui in XII. *Visiones* tributus est, caretque ultimo illo v. *Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes &c.* *Fol. 159.* sequuntur XII. *Propbetae* minores, singuli Praefatiuncula et Argumento, prout in *Bibliis* nostris *Glossatis*, instructi, textu absque ulla Capitulum distinctione decurrente. Demum *pag. ult.* *Codicis* *Incipit Prologus Et Origo Prophetie David Regis Numero CL.* Inepta compilatio de Autoribus, Numero, Titulis, Significatu et Ordine *Psal-*

Psalmodum, quae incipit: *David filius iesse cum esset in regno suo quatuor elegit qui psalmos facerent. Id est. Asaph. Eman. Ethan. et Iduthun.* &c. Inter alia *Psalmodum I.* non eguisse Titulo inde probat, quod alioquin ad Christum pertinere ex iis verbis noscatur: *Et aduersus Christum tuum,* quae nequidem in I. sed in II. *Psalmo* leguntur. Succedit *Hieronymi Praefatio*, et Titulus: *Incipiunt Psalmi Numero CL.* At vero hi Codice exempti, ut Monachorum in choro Psalmodiae fortassis inservirent, ipso usu deperiere. Textus Exempli huius a prima manu satis integer etiam quasdam a secunda castigaciones accepit. Cap. II. *Gen. v. 4.* pro: *Istae sunt generationes coeli et terrae,* legitur: *Hic liber generationis &c.*

II.

R. 3 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 171. fol. max. est *Pars posterior* sacrorum *Bibliorum*, ejusdem cum praecedente rationis, nisi quod diversos occupavit Librarios, pertinuitque olim, ut ora ima fol. 1. testatur, ad idem *Neapoli* Monasterium. Initium modo ducit a *Parabolis Salomonis*, quarum Praefatio *Hieronymiana* et Titulus deperiisse videntur. Deperiere vero etiam, ut jam nunc dicam, post fol. 52. cum *Jobi* initio folium unum, post fol. 107. a C. XIX. *Matth.* folia plura, post fol. 114. a C. XVII. *Lucae* folia plura, post fol. 133.

a medio *Epistolae Jacobi* folium unum, post fol. 154. a fine *Epistolae I. ad Corinth.* folia duo, denique post fol. 160. a medio *Epistolae ad Philipp.* folium unum. *Parabolas* porro fol. 7. praevio Capitulum XXXII. Elencho excipit *Ecclesiastes*, fol. 9. p. 2. succedunt *Cantica* vocibus interloquentium pro veteri more distincta, fol. 11. p. 2. praevio XLVII. Capitulum. Elencho *Liber Sapientiae*, fol. 16. p. 2. praemisso suo Prologo et Elencho CVIII. Capitulum. quorum ultimum inscriptum: *Oratio Salomonis* adfuturum est e L. III. *Reg. c. 8.* et II. *Paralip. c. 6.* *Liber Ihesu Filii Syrach.* Tunc demum fol. 31. reditur ad *Paralipomena* instructa *Hieronymi* Prologo. His jungitur *Job*, ut jam dictum, ἀνεφάδος. Fol. 60. post *Hieronymi* Praefationem incipit *Tobias*, fol. 63. p. 2. post ejusdem Praefationem *Judith*, et fol. 68. simili modo *Hester*, singuli absque ulla Textus distinctione. Fol. 73. post *Hieronymi* Praefationem habetur *Liber Ezre*, uterque uno contextu, nulla, nisi ab alia manu in margine, *Neemiae* mentione. Demum praemisso fol. 81. LXIII. Capitulum. Elencho *Liber Machabaeorum I.* et fol. 92. praemisso LVII. Capitulum. Elencho L. II. Testamento veteri finem faciunt. Omnium horum Librorum Tituli, et frequenter etiam Clausulae caractere unciali miniato, initia vero littera speciose picturata maxima gaudent, quod jam in principio monueram, deque *Novo* pariter Testamen-